



Per.
Lat
020


Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tizszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Ioannes Arany.

A. d. XI. Kal. Nov. quinquagenariam¹ anni, quo Ioannes Arany epicorum nostratium longe princeps fato concessit, sollemniter agemus reversionem.²

Ioannes Arany a. d. VI. Non. Maias natus est in oppido Nagyszalonta parentibus rusticis. A patre ipso elementa³ litterarum³ doctus, post doctrinis in gymnasio Salontensi minore liberalibus eruditus anno aetatis sexto decimo exacto se Debrecinum contulit in Collegio Debrecinensi studia litterarum persecuturus. Sed ibi cum propter nimiam egestatem vitam inopem iam tolerare non posset, in oppido Kisujszállás in ludo litterario pueris docendis paululo nummorum sibi parato denuo Debrecinum petivit, ut studia litterarum intermissa susciperet. At iam disciplinam⁴ scholasticam⁴ desuetus atque discendi constrictam⁵ lege⁵ constantiam⁵ pertaesus animo sollicito atque inquieto maiora quaedam



et sublimiora agitans, quoniam diversas artes periclitatus erat, histrionia tandem arrepta gregi histrionum se adiunxit. Quibuscum cum histrionae vitae miserias aerumnasque exantlasset penitus, artium studiis procul a se ablegatis⁶ domum properavit ad parentes senio ac morbo confectos. Iam vero rebus animum fallacibus⁷ praestigiis⁷ deludentibus⁷ longissime

a se abactis domi remanere constituit et quaestu aliquo seque parentesque honeste alere et sustentare. Fit scriba⁸ municipalis⁸ Salontae uxoremque ducit Iulianam Ercesey. Ac iam vitae cotidianae civilisque curis et officiis submersus Musis animum prorsus abalienasse videbatur, cum condiscipulus et amicus Alexander Szilágyi rector gymnasii Salontensis factus poeticam ingenii facultatem pervidens ignem

1 ötvenéves 2 forduló 3 be-
tűvetés 4 iskolai fegyelem
5 rendszeres tanulás 6 szám-
űz 7 csalfa szemfényvesztő
ábrándokat 8 városi jegyző

poesis iam sopitum⁹ exsuscitavit. Ardenti nunc animo poesim amplectitur. Poemate satirico, quod inscribitur «Elveszett Alkotmány» in certamine poetico Societatis Kisfaludyanae praemium abstulit. Anno autem 1847 epico poemate, quod vocatur «Toldi» tantam sibi peperit gloriam, ut nomen eius per totam Hungariam laudibus celebraretur. Post «Toldi» conscripsit «Toldi Estéje» et Obsidionem Muranyianam. Bello¹⁰ pro¹⁰ libertate¹⁰ tuenda¹⁰ a. 1848 gesto fit miles¹¹ civicus.¹¹ Debellato¹² pro¹² libertate¹² muneris publici expers adulescentis Dominici Tisza educationem et disciplinam recepit. In gymnasium Nagykőrösiense professor arcessitus novem annos munere docendi fungitur.

A. 1860. in urbem Budapestinum Societati Kisfaludyanae praefuturus concessit duorumque commentariorum,¹³ qui dicuntur «Figyelő» et «Koszoru» administrationi operam dicabat. A. 1865 secretarius Academiae Litterarum eligitur. Omnibus denique laudibus honestatus nobilitatusque animi tranquillitatis et hilaritatis tamen compos¹⁴ esse non poterat animumque induxit filia in matrimonium data Nagyszalontam remigrare. Enimvero aliter ac speraverat, res cecidit. Filia praematura morte exstinguitur, ipse morbo adfectus mature consenuit. Sub finem vitae in »Amore Toldi« et balladis Aranyiani lumina ingenii ultimum Hungaris illuxerunt, fractis enim corporis viribus paulatim in mortem vergit,¹⁵ quae a. d. XI. Kal. Nov. consecuta est.

*

Postquam Hungarorum natio exeunte saeculo 18. ex diuturno torpore¹⁶ ac socordia¹⁷ in sui¹⁸ ipsius¹⁸ sensum¹⁸ evaluit,¹⁹ hic sensus sui in poetarum mentes transfusus²⁰ effecit poesim gentilem et quae vocatur romanticam, quae populi re tandem in libertatem²¹ vindicata²¹ in popularem²² deflexit²² rationem.²² Huius autem popularis poesis duo exstiterunt clarissima lumina, Alexandrum Petöfi et Ioannem Arany dico. Quorum alter dissimilitudine ingeniorum factus est summus lyricus, alter poesi epica excelluit atque omnes et qui antecesserant et suae²³ aetati²³ supparet²³ magno post se intervallo reliquit poetas. Ioannes Arany ab ipsa na-

tura ad poesim epicam factus videtur. Et enim animo eius ingenerata²⁴ fuit et rerum et hominum notio²⁵ et observatio²⁶ subtilissima,²⁶ qua cum hominum sensus, mores et indoles pinguntur et exponuntur, in epica poesi supersederi²⁷ non potest. Excellebat idem mira carminum concinne coagmentandi²⁸ componendique²⁸ arte.

Ioannes Arany ipse rustica proles per longum tempus ruri degens rusticorum sensus et cogitationes tam penitus imbiberat,²⁹ ut rusticorum cogitandi sentiendique ratio literis et disciplinis exulta³⁰ et expolita³⁰ et, ut ita dicam, in sublimitatem³¹ elata³¹ atque ille rusticanus animi semper³² aequalis³² habitus³² ab urbana sollicitudine ac trepida³³ curiositate³³ abhorrens tum in vita, tum in poematis apparerent. Ecquidnam est aliud «Toldi» nisi pubis³⁴ rusticae³⁴ solida et perfecte expressa imago? Nonne in «Morte Budae» multa insunt illius, ut ita dicam, sublimioris³⁵ rusticitatis³⁵ signa et notae? Est etiam Arany in carminibus epicis memoria-rum³⁶ veterum³⁶ exsequentissimus³⁶ inque vetustatem ita se inmersit et insinuavit, ut eius memoriae spirantis et viventis et sub aspectum,³⁷ dicamne sub tactum³⁷ cadentis³⁷ evaserit effector potentissimus. Effectio³⁸ personarum³⁸ efficacissima eademque luculentissima.³⁹

Iam balladis Ioannis Arany quid perfectius? Ne apud exteris quidem nationes, qui ei balladico carminum genere antecellat, invenies quemquam. Balladae Aranyianae veloci⁴⁰ feruntur⁴⁰ impetu,⁴⁰ sunt praefractae,⁴¹ subobscurae⁴² quodam lumine circumfusae, in quibus persaepe animi arcanorum⁴³ oborta⁴³ caligine⁴³ fatale⁴⁴ quidquam⁴⁴ praesagientes⁴⁴

⁹ elhamvadt ¹⁰ szabadságharc ¹¹ nemzetör ¹² a szabadságharc után ¹³ folyóirat ¹⁴ elér ¹⁵ halálához közeledik ¹⁶ megmerevedés ¹⁷ téspedés ¹⁸ létének öntudatára ¹⁹ ébredt ²⁰ áthatotta ²¹ felszabadult ²² népies irányba terelődött ²³ korabeli ²⁴ veleszületett ²⁵ ismerete ²⁶ mély megfigyelőképesség ²⁷ ellenni ²⁸ felépítés, szerkesztés ²⁹ magába szitta ³⁰ megfinomodott ³¹ magasabb rendűvé vált ³² változatlan nyugalma ³³ izgatótt újságkeresés ³⁴ paraszt legénység ³⁵ magasabb rendű falusiaság ³⁶ a mult emlékeinek alapos kutatója ³⁷ érzékelhető és megfogható ³⁸ jellemfestés ³⁹ nagyszerű ⁴⁰ gyors menetűek ⁴¹ szaggatótt ⁴² félhomályos ⁴³ titokzatos homály ⁴⁴ sejtelmes

sollicitudine tenentur vel delictorum conscientia in delirationem⁴⁵ agitantur.⁴⁵

Est praeterea Arany Hungarici sermonis sollertissimus artifex. Qui popularis sermonis aequae gnarus sit ac Arany, quique ex illo perenni⁴⁶ uberrimoque fonte hauserit felicitior, reperias parem⁴⁷ neminem.⁴⁷ Aranyiana copiosa verborum et locutionum supellex⁴⁸ poetarum⁴⁹ suboli⁴⁹ expeditam⁵⁰ suppeditavit materiam.

Haud mirum, cum esset Arany summa poetica ingenii facultate praeditus essetque in Hungarici sermonis paene infinita potestate, palmares⁵¹ nobis Aristophanis comœdiarum Shakespearique aliquot fabularum praestitisse⁵² interpretationes.

Arany, qui carminibus⁵³ interpretibus⁵³ gentis Hungaricae mentem naturamque et ingenium perfectissime extulerit,⁵⁴ apud Hungaros sempiterna florebit memoria.

Carolus Ács.

⁴⁵ örületbe rohannak ⁴⁶ eleven ⁴⁷ hozzáfoghatót
⁴⁸ készlet ⁴⁹ az utána jövő költői nemzedéknek
⁵⁰ síma, kész ⁵¹ elsőrangú ⁵² adott ⁵³ a költészete révén ⁵⁴ kifejezésre juttatta.



Mercenarius¹ et uxor eius.

Pauper mercenarius vespere panem cibarium² edebat nihilque addebat, nisi condimentum³ famis. Mulier lacrimans edentem aspiciebat.

— Usque ad lassitudinem⁴ — inquit, — mi coniux, laboras, neque ego in his angustiis habeo, quod tibi praebeam, praeter hunc vilem panem.

— Tu, uxor, pauper es, non ego — respondet vir. — En aspice, quomodo canis meus caudam moveat.⁵ Ecce ei quoque aliquid obiicere possum, ibi vero vides, quomodo mus crustam panis⁶ abiectam rodat.⁷ Qui de suo tot bestias alere potest neque ipse ieiunus⁸ decumbit, bene se habet.

Leo et feles.⁹

Leo bellum gerens cellam penariam¹⁰ feli commiserat. Improbata bestia sibi frustra¹¹ dulcissima furata est.

— Quomodo hoc facere ausa es? — increpat leo, ubi furta felis ad aures eius acciderunt.¹²

— Nullamne officia mea fidelia merentur ofellam?¹³ — interrogat feles.

— Apage hinc, ignava bestia, ex aula¹⁴ mea! — intonat¹⁵ leo. — Qui semper rationem habet¹⁶ suorum meritorum et ipse sibi praemium constituit, suscipiat operam mercenarii.

¹ napszámos ² fekete kenyér ³ fűszer ⁴ bányadtság ⁵ csóvál ⁶ kenyérhéj ⁷ rágsál ⁸ étlen-szomjan ⁹ macska ¹⁰ élesztár ¹¹ falat ¹² eljut ¹³ falat ¹⁴ udvar ¹⁵ dörög ¹⁶ számba vesz.

Quomodo Christiani veterrimi in imperio Romano vixerint? (2)

Scripsit Thomas Rados dr. O. S. B.

Christiani variis causis condemnabantur. Causa erat e. g. crimen falsum atheismi. Athei a Romanis nominabantur, qui sacris, processionibus etc. deorum a magistratibus praescriptis non interfuerunt. Vera autem et sincera religio Romae a nullo homine postulabatur. *Deorum iniuria deis cura* — dictitabant Romani. Nec ille Romae atheus fuit, qui e. g. in carmine deos deasque ludificabat. Christianos igitur «atheos», qui deorum numina auctoritatemque aspernantes deicere eos de principatu voluissent, imperatores Romani auctoritatem eorum pietatemque Romanorum erga eos amplificaturi impigre persequabantur, eo diligentius, quia non solum servi et pauperes, sed etiam multi ex ingenua plebe baptisati sunt, necnon magistratus et milites, qui columina firmissima subsidiaque imperii Romani esse putabantur.

Aliud falsum crimen fuit crimen laesae maiestatis, quod cum apotheosi¹ imperatoris coniunctum esse certum est. Romani enim imperatorem iam in ipsa vita in deorum numero rettulerunt. Quod Christianos comprobare non potuisse patet, ideoque neque imagini imperatorum ture supplicabant, neque diem eorum natalem luminibus

¹ istenités, istenné tevés.


accensis ianuas foliis lauri exornantes celebrabant, quia in natalicia imperatoris more maiorum libare et ture sacrificare solitum est. Caesar a Christianis eadem ex causa *Kyrios* non est appellatus, cum idem vocabulum apud Romanos imperatorem ex homine deum factum esse accuratissime expressisset, quod solum Christo debebatur. (Cf. in missa: *Kyrie eleison!*) Apotheosin Caesarum abnegantes Christiani item hostes publici facti sunt.

Etiam magiae² Christiani a Romanis accusati sunt, quia eos nocturnis sacris artes magicas colere putabant. Vim magicam videbant apparere etiam in exorcismis³ et in mirabilibus sanationibus hominum potestate Christi factis. Christiani in orientem versus se convertentes Deum orabant, descriptionibusque symbolicis utebantur (Christus-Orpheus, S. Petrus-Moyses etc.), seipsos ubicunque cognoscendi causa signa secreta usurpabant (v. g. pisces) —, quae omnia «magica» fuerunt. Ideo etiam a Suetonio religio Christiana *nova ac malefica superstitione* appellata est. Criminis autem magiae coarguti lege Romana, si honestiores fuerunt, saepe in insulas deportabantur, si humiliores, aut cruci affigebantur, aut ad bestias damnabantur.

Christianos etiam per flagitia invisos esse (nocte convenientes infantes necavisse, stupra fecisse etc.) de incendio Romae et de persecutione Neroniana disserens Tacitus memorat. Quae falsa crimina Romae longe lateque perulgata esse etiam Tacitus, vir ille gravissimus fidem eis habens perfecte demonstrat.

Apud pauperes Christianos sodalitate coniunctos⁴ pecuniam solvere, qui mortui idonea sepultura afficerentur, in consuetudinem venit. Imperatores etiam hoc suspectum habebant, cum Christianos illos coniurationis participes existimarent. Facillime igitur etiam crimine collegii illiciti arguebantur, quod crimen laesae maiestatis quoque haberi potuit. Teste autem Ulpiano: *Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea poena tenetur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupasse indicati sunt.* (Ad numerum proximum.)

² bűbájosság ³ gonosz szellemek kiűzése ⁴ szervezetbe tömörült.



Statua Elisabethae, coniugis Francisci Iosephi regis, hoc nomine primi reginaeque Hungarorum, cuius memoriam praeclaram nulla unquam obscurabit oblivio, a. d. VII. Cal. Oct. est revelata in capite ac sede regni Hungariae. Ex orationibus, quae hac occasione ad memoriam reginae habitae sunt, haec praefecti urbis verba his paginis inse-



rimus: «Revelata est statua reginae nostrae, memoria omnium Hungarorum dignissimae. Monumentum ipsum non adeo parentium favor ac verecundia, quam caritas erexit. Hic castus ignis pietasque perennis congest lapides, materiem operis. Nos autem decoris loco accipimus hoc monumentum, gaudio perfusi, quod nostrum erit observare ac tueri signum pignusque gratum amoris et pietatis, quo gens omnis Hungarorum reginae suae famam sempiternae hominum memoriae tradendam esse statuit. Promittimus nos eadem cura hanc statuam tueri, quae par sit voluntati ac pietati populi»...

*


Antrum Buddhae, ubi olim sacrarum¹ ille opinionum¹ auctor¹ vitam degebat rationesque² suas docebat, in montibus, qui dicuntur Raigirensibus, ut Calcutta nuntiatur, nuperrime inventum est. Antrorum seriem

¹ vallásalapító ² rendszer.

bant; in parvis lucernis ad parietes applicatis oleum ardebat.

Columnae parietesque marmorei variis luminibus fulgebant. Per compluvium in caelo caeruleo micantes stellae videbantur. Sub compluvium erat cavum impluvium, in quo aqua pura nitebat.

Circa peristylum viginti cubicula erant.



Peristylum domus Vettiorum Pompeis.

— Haec est bibliotheca⁷ — ait Publius praeteriens: — hic habet pater libros in papyris et tabulis scriptos.

— Haec est pinacotheca⁹ — inquit Cornelius; — iam videris, quam multa pulchra qua sint in ea imagines et simulacra.¹⁰

— En sacellum, ubi signa avi proavique videbis.

— Hic est triclinium, id est parvum cenaculum, istic exedra.¹¹ Sed carissime Deci, hoc est diurnum¹² cubiculum¹² tibi destinatum et istud communis noster thalamus.¹³ Eo nunc imus.

Locus erat satis amplus tribus fenestris, quae orientem, meridiem, occidentem spectabant. Supra fenestram meridianam foramen erat quadratum, per quod recens aer in cubiculum infundebatur. Ad parietem lecti¹⁴ marmorei stabant; in singulis lectis picti¹⁵ pulvini¹⁶ et instragula¹⁷ auro texta erant. Apud lectos in recessibus¹⁸ erant pulcherrima vasa Tuscanica, in iis olea atque unguenta ad corpus illinendum.

Hic adolescentes resederunt, exspectantes, dum servi Decium ad lavandum praepararent.

In balneum per peristylum intrarunt. Is erat locus triangulus, pavimentum minutis lapidibus coloratis distinctum;¹⁹ imaginibus maxime venationes repraesentabantur.²⁰ Apud unum parietem erat ampla piscina,²¹ cuius in fundo caeruleo conchyliis²² et piscibus, in crocatis²³ lateribus arbores frutesque picta erant.

Aqua erat frigida. Ibi Decius et Publius se lavaverunt. Cornelius in conclave vicinum ierat calidam lavaturus.

Post lavationem servi corpora perfricata²⁴ unguentis illinunt; tum redeunt in thalamum, ubi, priusquam in triclinium eunt, crinibus pexis²⁵ togam amiciuntur.

Triclinium erat satis amplum; fenestrae prospectum ad Capreas et Pithecasas insulas praebant. E triclinio per duo podia²⁶ in hortum et cellam vinariam²⁷ erat descensus.

Postquam cena inter hilares sermones consumpta est, omnes in hortum descendunt.

In medio horto quadrato erat piscina lata, in qua pisces arguti²⁸ palpitabant.²⁹ Prope piscinam stabat trichila³⁰ sex columnarum. A latere villae aedificia rustica³¹ videbantur.

Hic Decius cum cognatis ambulabat, dum sera nocte in suum quisque thalamum se recipiunt, ut a lassitudine acquiescant.³²


4. Decius Pompeianos mores domesticos cognoscit.

Mane Publius et Cornelius in sphaeristerio³³ pila ludentes exspectabant Decium, qui tum solito diutius dormiebat. Expulsim³⁴ ludebant, id est pilam, quae ex corio³⁵ facta atque aëre completa erat, alter alteri iaciebant et circulo³⁶ ligneo in brachium inducto³⁷ repellebant.³⁸

Ut Decius venit, ientaculum³⁹ in triclinio sumunt et in sphaeristerium redeunt. Primum pugilationem,⁴⁰ deinde ludum gladiatorium ludunt.

Dum adolescentes his oblectamentis tem-

7 könyvtár 8 elmenőben 9 képtár 10 szobor 11 társalgó 12 nappali 13 hálószoba 14 ágy
15 himzett 16 vánkos 17 takaró 18 fülke 19 kirakva
20 ábrázol 21 medence 22 kagyló 23 sárga 24 megdörzsöl 25 megfésül 26 erkély 27 horospince 28 virgona 29 fickándozik 30 lugas 31 gazdasági épületek
32 kipihen 33 labdázó terem 34 ütősdí 35 bőr
36 gyűrű 37 húz 38 visszaver 39 reggeli 40 ökölvívás



pus terunt, ante ostium villae in vestibulo clientes toga amicti opperiebantur. Clientes erant cives pauperiores, qui partim pro cibo, partim pro sportula⁴¹ dominum ditiozem comitabantur. Unoquoque mane veniebat dominum salutatum; haec salutatio matutina appellata est.

Simulac Diomedes in peristylum ingresus est, ostiarius ianuam aperuit et clientes in peristylum venerunt. Nomenclator, qui ob bonam memoriam hoc munus obtinebat, singulos clientes nominatim vocat; Diomedes cum singulis pauca verba commutat.⁴² Peracta salutatione invitat eos ad ambulationem. Plerumque dominum anteibant. Fiebat etiam, ut mane amici quoque salutis dicendae causa venirent et dominum comitantes in forum ambularent.

Priusquam Diomedes in forum se contulit, visit filios et Decium, ut cum eis et clientibus Lares in sacello precaretur.

Eo die Decius et filii Diomedis domi manentes animi⁴³ causa⁴³ latrunculis⁴⁴ ludunt;⁴⁴ dein se lavant et in hortum eunt.

Cum his rebus defatigati essent, in culinam⁴⁵ introeunt, ut videant, quale prandium coqui⁴⁶ parent.

Culina ampla lapidibus aedificata est. In lacunari⁴⁷ de carnario⁴⁸ carnes recentes pendent. In aëneo⁴⁹ foco in cortinis,⁵⁰ ollis,⁵¹ patinis⁵² epulae:⁵³ percides,⁵⁴ limaces,⁵⁵ caro capragina⁵⁶ et verrina, pulli, farcimina,⁵⁷ garum,⁵⁸ brassica⁵⁹ Pompeiana, cetera coquantur ac torrentur.⁶⁰ Passim humi ornaetae seriae⁶¹ aqua et vino completae stant.

De culinae parietibus cocula,⁶² trullae,⁶³ sartagine,⁶⁴ hirnulae,⁶⁵ craticulae,⁶⁶ verua,⁶⁷ cribra,⁶⁸ formae liborum⁶⁹ pendent.

Ad mensam marmoream coquus colo⁷⁰ vinario⁷⁰ vinum faece⁷¹ liquat.⁷² Focarius⁷³ ligna in ignem furni⁷⁴ iacit. Dulciarius⁷⁵ scriblitam⁷⁶ turritae formae facit. Liborum pistor⁷⁷ lacte et farina⁷⁸ suavia crustula⁷⁹ parat.

Tum venit cubicularius⁸⁰ et adolescentes ad prandium invitat, simulque nuntiat dominam iam opperiri. Nam dum adolescentes in horto et culina ambulabant, Livia vestes induerat.

Ubi primum mane experrecta est, manibus aliquoties plausit. Tum servae festinan-

ter ingressae sunt dominam exornaturae. Demunt de facie pultem⁸¹ ex pane factam, quae ad rugas aequandas⁸² valebat.⁸³ Dein lacte asinina se lavat, dentes Chia resina⁸⁴ et pulvere pumiceo⁸⁵ purgat.

Postquam exornatio faciei confecta est, ordo vocat ornatricem,⁸⁶ quae capillos pulchre concinnat:⁸⁷ primum pectit, tum Graeco more in cochleae formam subrigit.⁸⁸

Ut ornatrix opere perfecto etiam aureolas acus in crines fixit, Livia in speculum inspexit, placeretne sibi capillorum ornatio. Tum tonsor⁸⁹ unguis purgavit.

His perfectis tunicam interiorum linteam induit, super hanc stolam laneam circumiectam ad corpus alligavit.

Livia dein ornamenta imposuit: monile⁹⁰ margaritis factum, inaures⁹¹ baccatas,⁹² anulos gemmatis,⁹³ armillas.⁹⁴ Postquam crepidas ad pedes astrinxit, in peristylum venit. Ibi iam invenit Diomedem, qui e foro redierat. Adolescentes quoque tum venerunt.

— Qui venient hodie ad cenam? — interrogat post prandium Cornelius.

— Pansa, Sallustius, Siricus, Cornelius Rufus.

— Eruntne etiam gladiatores? — interrogat Publius.

— Ita. Fortasse etiam mimi⁹⁵ venient — respondet pater.

— Itaque, carissime Deci, benignius⁹⁶ nos⁹⁶ tractabimus.⁹⁶

Diomedes et Livia discedunt, ut somnum meridianum carpant.

At adolescentes quietem respuentes⁹⁷ ante cenam imagines et signa in bibliotheca Decio monstrant. Dein ascendunt in contignationem,⁹⁸ ut prospectum caperent,⁹⁹ tum in sphaeristerio latrunculis ludunt, postremo se lavant.

41 pénzajándék 42 vált 43 mulatságból, kedvtelésből 44 sakkozók 45 konyha 46 szakács 47 menyegyzet 48 hústartó 49 érc-, 50 3 lábú üst 51 fazék 52 serpenyő 53 ételek 54 tengeri kagyló 55 csiga 56 őz-, 57 kolbász 58 halmártás 59 kaposzta 60 süt 61 hordó 62 konyhaedények 63 főzőkanál 64 serpenyő 65 kancsó 66 rostély 67 nyárs 68 szita 69 kalácsidom 70 borszita 71 seprő 72 megtisztít 73 fűtőszolga 74 kemence 75 cukrász 76 torta 77 kalácsos 78 liszt 79 sütemény 80 komornyik 81 pép 82 elsimít 83 szolgál 84 gyanta 85 tajtékkő 86 fodrásznő 87 elrendez 88 felfesül 89 horbély 90 nyaklánc 91 fülbevalók 92 gyöngyös 93 drágaköves 94 karperec 95 táncos 96 jól mulat 97 nem akar tudni 98 emelet 99 élvez.



Iocosa.

Aemilium, in ludo¹ cum identidem² ineptias³ faceret,³ sic ludi magister increpuit: — Facesse prope⁴ ludo, iam pertaesum est me tuarum ineptiarum.

Indignantibus et mussitantibus⁵ ceteris cum Aemilius e ludo cessisset, Carolus interpretes⁶ discipulorum huiuscemodi exorsus est oratiunculam:

— Quid ita? Aemilio, carissime magister, ineptienti⁷ licitum est e ludo exire et ceteris, qui se modesto⁸ gerant, remanendum est? An tu hoc aequum⁹ iustumve⁹ esse censens?

*

Argentarius¹⁰ quidam animo¹¹ consternatus¹¹ ad dispensatorem¹² suum accurrens, «occludito, sodes,¹³ inquit, arcam¹⁴ nummariam,¹⁴ video enim aliquem in tabernam venientem.» «Quam ob rem arcam occludam, inquit dispensator, siquidem ne¹⁵ hilum¹⁵ quidem nummi¹⁵ habemus?» «Ob id ipsum,» inquit argentarius.

*

Quidam ad familiarem: «Tu quidem nequaquam tam stultus es, ut videris.» Familiaris: «Ita vero, atque hoc maxime inter nos differimus.»

Carolus Ács.


¹ iskola ² folyton ³ ostobaságot művelt ⁴ takarodj ki! ⁵ morog ⁶ szószóló ⁷ helytelenkedik ⁸ tisztességesen ⁹ méltányos és igazságos ¹⁰ bankár ¹¹ magából kikelve ¹² pénztáros ¹³ kérlek ¹⁴ pénztár ¹⁵ egy fia pénz.

Solutio aenigmati numeri I.

Series directae: 1. area, 3. fel, 5. Bias, 10. ac, 12. Nephele, 13. P. M., 14. oh!, 16. Io, 17. vas, 18. virus, 19. sed, 21. Iris, 22. si, 23. it, 25. ni, 26. Aglaia, 28. Taurus, 29. via, 30. vox, 32. ne, 33. te, 35. tax, 37. Nona, 39. pax, 41. rana, 44. Osi, 45. Orion, 47. res, 48. ars, 49. ira. — *Series libratae:* 1. ara, 2. et, 4. Ephyra, 6. in, 7. sum, 8. Nervii, 9. Alesia, 11. coarguo, 13. Poenula, 15. HS, 17. via, 20. Dis, 22. sal, 24. tus, 27. ave, 28. tat, 31. xenia, 32. No, 34. et, 35. tiara, 36. Sais, 37. nox, 38. os, 39. P. R., 40. X. O., 42. ne, 43. ast, 45. os, 46. ni.

Aenigma recte dissolverunt: Rudolphus Kompolthy, Steph. Lukács (Miskolc), Georgia Szilvássy (Budapest).

Praemium Rudolpho Kompolthy sorte adiudicatum est.



□	O	G	A
R	□	N	A
V	A	□	O
T	O	M	□
R	A	□	A
R	□	R	A
□	O	R	S

I.

Quadratis recte expletis nomen rerum scriptoris celeberrimi efficitur.

II.

1.							
2.							
3.							
4.							
5.							
6.							
7.							
8.							

Definitiones serierum directarum: a) usque ad gradum, b) a gradu, c) series tota.

Series directae:

1a) filius Neptuni, 1b) vultus, 1c) oppidum Doricum.

2a) pluvia repentina, 2b) adv. num.,

2c) non barbatus.

3a) poples, 3b) diversa, 3c) genuum fasciae.

4a) negotium, opera, 4b) persevero, non intermitto, 4c) perfundo, aspergo.

5a) praepositio, 5b) declamatio, 5c) adiudicatio.

6a) particula negativa, 6b) populus, natio (in dativo), 6c) nomen numerale.

7a) coniunctio causalis, 7b) coniunctio adversativa, 7c) coniunctio causalis.

8a) Tyrus, urbs Phoeniciae alio nomine, 8b) coniunctio temporalis, 8c) plaustrum.

Primae litterae deorsum lectae nomen regis Armeniae, generi Mithridatis reddunt.

III.

1	2	3	4
5	6	7	8
9	10	11	12
13	14	15	16

Hi numeri in quadratis ita ponantur, ut quoque versus computati eandem summam reddant.

Iulius Vattamány disc. Sopianensis.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedicholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)